



HARVARD
COLLEGE
LIBRARY

AD

EPIDICUM PLAUTINAM

CONIECTANEA

SCRIPSIT

THEODORUS HASPER.

Commentatio ex programmate gymnasii regii Dresdensis seorsum expressa.

DRESDAE
FORMIS B. G. TEUBNERI
MDCCCLXXXII.

[illegible] 50

[illegible]

[illegible] fund.

THEODORI HASPERI
AD EPIDICUM PLAUTINAM CONIECTANEA.

ALFREDO FLECKEISENO
S.

Diu est ex quo Tibi, vir amplissime, quem iam inde ab adulescentia studiorum meorum et fautorem et adiutorem benevolum fuisse gaudeo, Lipsiae ubi tunc eram sum pollicitus de eis Plauti fabulis, quae a recentissimis editoribus et emissae essent et propediem emitterentur, commentatiunculam aliquam me conscripturum annalibus Tuis inserendam. Sed quo nihil saepius fieri solet in vita mortalium, ut cogare aliquid intermittere ac seponere in praesens, quamvis tibi haeserit in medullis: id ego in hac re expertus sum non sine magno animi dolore. Nam ut taceam de negotiorum vel forensium vel domesticorum multitudine, quibus facile a scribendo avocetur animus, prohibebar praeter cetera et sedis commutatione ad graviora studia absolvenda minime utili et novi muneris curis officiisque. Nunc autem, ubi instat scriptionis scholasticae necessitas, facile adducor ad ea studia ut me referam, quae retenta animo nec umquam prorsus intermissa nihil nisi extremam manum flagitabant.

Quid plura? recognosco et retracto adversaria mea, multa dubitationis plena tollo, alia quae incerta ambiguaque adhuc videbantur iterato meditandi labore diiudico, nonnulla quae longiore egeant disputatione secludo resectis maximam partem eis quae ab aliis aut praecepta interim aut rectius quam a me erant constituta.

Praeterea initam rationem aliqua ex parte circumcidere placuit. Antea enim in hac ipsa commentatione ad Epidicum fabulam plene fuseque percursam duas alias Plauti fabulas et Curculionem et Asinariam brevius ac sine argumentationis ambagibus tractatas adiungere animus erat, quo tamen incepto postea ipse destiti in Epidico emendanda acquiescendum esse ratus. Effectum

est hoc non solum temporis sed etiam spatii angustiis, quandoquidem si vel omissa argumentandi subtilitate coniecturas meas ad Curculionem Asinariamque pertinentes ascripsissem, verendum erat ne longe egrederer fines terminosque huic scriptioni concessos.

Quae igitur paranda erant ad componendam hanc dissertationem i. e. fabulae accurata recensio examinato diligenter apparatu critico adhibitisque subsidiis omnibus quae vel superiore vel recentiore aetate huic fabulae admota sunt ab hominibus doctis: ea scito — quamquam nonnulla, ut ea quae disputavi ad versum 62, 67 sqq. 166 sqq. 204, 214, 327 sqq. 553, 653 alia, nunc demum celeri ingenii motu adiecta sunt — magna tamen ex parte iam abhinc compluribus annis fuisse absoluta: ultima lima restabat ac scriptio.

Qua in re illud vehementer doleo parum otii mihi concessum fuisse ad exarandam commentationem ipsam. Nam praeterquam quod intra brevissimum temporis spatium conscribenda fuit, haud scio an vix ulla umquam sub tristioribus condicionibus rerum domesticarum quam haec ipsa et incepta sit et ad finem perducta.

Sed video diutius me quam par est in enarrandis rebus meis morari: ad ea quae in hac commentatione mihi proposui festinat oratio.

Emissae sunt adhuc coniuncta opera recentium editorum quinque omnino Plauti fabulae Epidicus Curculio Asinaria Aulularia Truculentus, quarum maiorem partem confecit Georgii Goetzii assidua et acris diligentia. Non est huius loci de his editionibus iudicium facere, praesertim cum Epidicus saltem et Curculio iam plures annos manibus eorum omnium teneantur quibus curae est absolutum opus Ritschelianum. Praeterea editionum recentium laudem ex omnium criticorum iudiciis facile agnoscas. Nec me paenitet profiteri maximo me affici gaudio, quotiescumque ex nuntiis Teubnerianis comperi fabulam aliquam Plauti Ritscheliani brevi in lucem prodituram. Excitat enim fabularum adhuc emissarum prompta celeritas spem firmissimam fore ut intermisso aliquo temporis spatio ad finem perducatur prima editio critica poetae Sarsinatis.

Qua emissa dubium non est quin studia Plautina ne nunc quidem iacentia impetum sumptura sint acerrimum, si quando habebis ubi firmiter insistas neque cogere ad alterius Pareanae apparatum confugere haud raro fallacem. Unde simul illud intellegitur optandum esse quam maxime, ut posthabitis aliis

consiliis eas Plauti fabulas primas publici iuris faciant editores, quae adhuc carent apparatu Ritscheliano.

Atque ut a novissimis editoribus sine dubio fabularum Plautinarum crisis promota est ac stabilita, ita absoluta atque confecta ab eis neque est neque potest esse. Nec enim unius est hominis quamvis ingeniosi nec unius aetatis cum splendidissimorum monumentorum omnium quae nobis reliquit antiquitas tum Plautinarum potissimum fabularum ad pristinam formam restitutio, quoad eius omnino fieri poterit, in qua multa iam saecula operam collocarunt suam, multa collocabunt in posterum.

Hoc praecipue de canticis iudicandum esse a compluribus iam observatum est hominibus criticis, in quibus reconcinnandis novissimi editores ipsi longissime aberunt ut perfecta se confecisse existiment. Quo in genere ad certam quandam normam revocando si non omnia etiamnunc, at plurima tamen ignorantur. Quidquid enim hac in re adhuc est indagatum, id multis certe locis vix transscendit experimenti modum. Et tamen quis dubitabit quin ingenii humani acumen, uti in multis aliis rebus per involucra et integumenta verum dispexit, sic etiam in hac contorta et difficili re caliginem denique sit discussurum. Credo ego quidem dissentiente Ritschelio (opusc. V pag. 592 sqq.) perquisitis accuratius quaestionibus quae ad musicam graecam pertinent aliquando perventum iri ad investigandas leges, quibus ut modulatus tibiarum fidiumque cantus sic etiam partes fabularum voce cantatae subiectae fuerint necesse est. Sed haec posteriorum temporum: illud gravissimum quod spes est fore ut mox Plauti apparatus criticus omnis habeatur.

Quanto enim emolumento hoc futurum sit litteris universis credi vix potest. Hoc monuisse satis habeo tum demum condi posse linguae latinae thesaurum, qui thesaurus quantopere Ritschelio nostro in votis fuerit sciunt omnes qui eius familiaritate usi sunt. Accedent studia ad metricas grammaticasque quaestiones pertinentia, sequetur sermonis Plautini pervestigatio accuratior, unde quam larga messis futura sit lexicis nostris dici vix potest, non deerit rerum Plautinarum interpretatio amplissima nimis diu neglecta illa quidem atque a perpaucis adhuc suscepta.

Singularum fabularum aut sine apparatus critici praesidio aut non integro apparatu paratarum editionem, quamvis suum habeat pretium, multo minoris

tamen esse momenti ac ponderis sua sponte intellegitur. Qua opinione ductus ipse Poenuli edendae consilium aliquamdiu capessitum postea deposui, quae fabula emendata a me, quantum quidem facere poteram, abhinc amplius decem annos in scriniis meis latet. Tunc rem omisi, quia Ritschelius hanc fabulam proximam Plauto suo adiungere paene usque ad mortem animum induxerat. Atque huius quidem Poenuli Ritschelianae partem non exiguam reapse Ritschelii manu confectam esse scio, quae dubium non est quin in relictis codicillis sit inventa.

Verum ut denique ad commentationem meam redeam, quam benevolentiae Tuae commendatam esse volo, iudicabor fortasse in singulis intemperantior fuisse quam debui nec scio an non omnia habeant suam maturitatem: illud non vereor ne levitatis a quoquam arguar ac temeritatis. Quamquam me non fugit mirum quantum caecutire nos omnes in iudicandis nostris ipsorum coniecturis nec semper eam rationem quae nobismet ipsis maxime probatur esse verissimam. Sed cum omnino rarum esse constet numerum coniecturarum quae insignitas prae se ferunt veritatis notas — quo tamen ex numero fortasse in commentatione mea nonnullas invenies — ubicumque id quod perfectum expletumque sit inveniri non potuerit licebit pro veri investigatione substituere investigationem eius quod est simile veri.

Inventa aliorum, undecumque originem habebant, ea qua par est in litteris iudicii aequitate examinavi et quae mihi vera esse videbantur ea comprobare et meis ipsius coniecturis praeferre non gravatus sum. Nihil intolerabilius odiosiusve quam quae in nostra quoque disciplina nunc mirum quantum percrebruit ratio plane perversa eorum qui sociorum eidemque sectae addictorum libellos, qualescumque sunt, ad astra tollere, aliorum scripta castigare et obterere consueverunt. Qua in re Gulielmo Studemundo habeo gratiam, qui in prooemio studiorum ad priscos scriptores latinos collatorum haec verba fecit consideratione dignissima: *Aliorum philologorum vitia maligne carpi vetui: iussi enim discipulos meos cuivis mediocriter docto tantum tribuere, quantum sibi fortasse adrogarent, alienumque ingenium suarum semper facultatum modulo metiri.* Non probo ullo pacto rationes criticas Gepperti vel Ussingii — qui enim possum? — sed aequum est quae recte ab eis sunt administrata ea libenti animo agnoscere. Ad magnificentissimum illud litterarum templum exaedificandum saxis opus est permultis nec refert, qua ex lapicidina provenerint.

Gratulabor autem mihi, si hac commentatiuncula pro mea parte aliquantulum studiis Plautinis profuisse videbor, sin minus satis habebo, si diligentia mea abs Te agnoscetur ac voluntas.

Vale, vir gravissime, meque amare perge.

Dresdae a. d. IV. Kal. Mart. anni MDCCCLXXXII.

In genere orthographico, ut a levioribus rebus exordiar, non semper possum consentire cum novo editore, qui cur a Ritschelii ratione hac in re discesserit non intellego. V. 3 oh omnium librorum auctoritate defensum non erat mutandum in o; eodem modo oh v. 177 cum Ambrosiano et ah 554 cum Palatinis retinendum. Unde enim omnino genuinae interiectionum formae nosci possunt, si vel antiquissimorum codicum scriptura oblitteratur? V. 23 et 56 dei, v. 26 diceis ex Ambrosiano est servandum, fortasse etiam 123 et 125 sillabam et simbolae. Praeterea v. 192 omnis, v. 322 necne seit (nec nescit codices ad unum omnes habent). V. 402 sorsum, v. 517 sententieis, quo ducit Ambrosiani memoria (sententeis), praesertim cum v. 522 seic Goetzius ipse scripserit, ubi codices eis sic habent. V. 548 seis ex *A* recipiendum. Nam mirum quantum falluntur qui in hac re priscae latinitatis monumenta ad aequabilitatis normam revocare studeant. Quid enim iuvat summae antiquitatis testes omnes — hae sunt eiusmodi quas attuli formae — prorsus eicere, etiamsi scripta alioquin posterioris aetatis speciem induerunt? Hoc unusquisque per se facere poterit nec vero unicuique aut tempus suppetit aut otium ex singulorum scriptorum apparatibus criticis antiquiores linguae formas expiscari. V. 204 adquiesce, v. 633 ecfero, v. 252 faenore non fenore scribendum erat. Ad genus orthographicum pertinet etiam, si quid video, ut tu es gradibus grandibus v. 13, quod nisi fallor ad antiquiorem formam ut tu **eis** gradibus grandibus spectat. Eundi enim verbum in hac locutione aptius esse cum suapte natura apparet tum e Pseud. v. 1049 cognosci potest, ubi, quomodocumque reliqua sunt scribenda, imus certe recte se habet et ex fragmento Cistellariae apud Festum ed. O. Muell. p. 372 s. v. vegrande: nimium **is** vegrandi gradu. Quamquam vide Parei lexicon Plautin. gradu celeri esse.

Praeterea non semper cognoscitur ex apparatu, quid reapse sit in codicibus, praecipue in Ambrosiano, ubi tamen eius scriptura apparuit. Sic, ut nonnullis utar exemplis, v. 16 non intellegitur ex apparatu equidem in Ambrosiano esse, quod tamen sine dubio testari vult editor. Nam ex silentio cave quidquam de Ambrosiano concludas, qua de re vide Ritschelii prolegom. p. XI sq.: *Omnem annotationem meam unumquemque puto etiam me non monente ita interpretaturum, ut de Ambrosiani scriptura nihil sibi calidius persuadeat nisi quod in illo exstare ipsis verbis tester, omnium autem minime in eis paginis, quae fortiorem lituram passae sunt, de Ambrosiani cum recepta scriptura consensu quicquam e silentio nostro coniectum eat.*

Eandem testimonii ambiguitatem autem saepius deprehendas, ut v. 158, ubi testandum erat luculentum in *A* esse; v. 225 non dicendum erat tam *om. BJFZ*, sed potius tam *A solus*. v. 235 viros in *A* esse dicendum erat (vide etiam Gepperti stud. Plaut. II p. 104). Praeterea confer quae ad v. 252 et 727 annotavi. V. 302 quis primus huic scripserit non apparet. V. 553 quid nunc nil est nisi coniectura Goetzii, id quod ex apparatu non facile cognoscitur.

In argumento Epidici ascripsi ad versum 2 quamvis dubitanter

Persuásu servi atque ís conductam múlierem

persuasu servi atque conductam habent libri, atque is iam emendavit Bothius nec credo ego quidem a librorum scriptura atque esse recedendum. Possis etiam servata Pyladis coniectura:

Persuásu servoli átque is conductíciam

quamquam quid reapse voluerit argumenti scriptor quis pro certo affirmare ausit?

V. 3 in scriptura codicum quam recepit Goetzius nullo pacto poterimus acquiescere. Nam argumenti scriptorem cave credas linguae latinae tam fuisse expertem, ei ut tribui possit structura aliquam ei filii subiecit prorsus inaudita illa quidem nec ullo modo ferenda. Praeterea subiecit perfectum molestius quam ut tolerari queat. Ego falli non videbor, si hunc versum eadem depravationis contagione inquinatum esse existimem, qua qui antecedit laborat versiculus. Scribo

Iterúm pro amica erílis subicit fílii

quamquam possis etiam suspicari

Iterúm pro amica eríli subicit, fílio
Dat eríli argentum.

Epidici autem ipsius cum alia tum praeter cetera scaenam primam primi actus diversis rectractationibus male esse turbatam, quotiescumque hanc fabulam legi, mihi persuasi. Initium fabulae latius est et quodammodo distractum nec uno loco misere hiat oratio, quod saepenumero rectractationis indicium est certissimum.. Nec tamen haec retractantium poetarum studia ad Epidicum magis quam ad alias Plauti fabulas pertinuisse contenderim, quae fabula speciem puriorem servavit quam nonnullae aliae fabulae multo miserius habitae. Verum quo quis accuratius in hanc rem inquisiverit, eo magis intelleget firmari ac stabiliri Ritschelii sententiam fabulas Plautinas omnes non tales, quales e poetae ipsius manu profectae sunt, sed potius libellos scaenicos fabularum Plautinarum in usum septimi u. c. saeculi iterum iterumque diversis actionibus scaenicis adaptatarum ad nostram memoriam pervenisse existimantis. Atque ut hanc malam retractatorum industriam — non enim de uno retractatore cogitandum esse cum suapte natura apparet tum multis exemplis demonstrari potest certissime — in omnes Plauti fabulas saeviisse manifestum est, ita non minus manifestum alias aliis fuisse ad mutationes aptiores. Est igitur series interpolationum diversis temporibus ortarum agnoscenda. Quamquam cavendum est sedulo, ne unumquemque impeditum et corruptum fabulae locum retractatorum studiis vexatum esse iudicemus, priusquam omni diligentia alia remedia quaesita sint. Praeterea ab his retractationibus longe diversum est alterum additamentorum genus, quod glossematum nomine complecti solemus, etiamsi saepissime difficile est ad diiudicandum, utrum aliquid huic an illi generi sit attribuendum. Sed de singulis retractationum indiciis suis locis videbimus.

Atque ut nunc ad primam scaenam ipsam accedam, cum in constituendis numeris Ambrosiani exemplum sequatur cum Gepperto Goetzius, non video cur v. 11 eius testimonium posthabuerit. Retineo igitur eo quoque versu Ambrosiani discriptionem, quod ipsum visum est Brixio et Seyfferto Curcul. praef. XVII.

Versus qui sequuntur versum 11 mihi videntur conflati esse ex singulis panniculis ex posterioribus fabulae actionibus relictis. Sat inficetas certe frigidasque facetias versus 18 ab animo impetrare non possum ut ab ipso Plauto profectas esse existimem. Accedit quod versui 11 optime adiungitur v. 20. Nam quod Reinhardto probatur v. 5—12 a retractatore esse additos, id mihi quidem verisimile non videtur. Illud certissimum est, si quid video, v. 13 sqq. post longius utriusque personae colloquium non aptos esse, ut, siquidem vera sunt quae supra disputavi, hinc novum exordium fabulae incepisse credendum sit, quo novae actioni scaenicae consuleretur. Vide praeterea ea quae de versu 17 dicentur.

V. 7 Acidalii coadsolet iniuria a Goetzio est receptum, immo eo quod habent codices expungendum. Curcul. 344, ubi in manuscriptis est coaccedunt recte cum Guyeto restituit Goetzius accedunt, Baehrensius ibi eo accedunt proposuit. Sed quemadmodum eo hoc loco ex antecedente gaudeo vel insequente spondeo falso huc irrepsit, sic haud scio an Curculionis loco inde ortum sit, quod versu superiore ad illo in codice archetypo eo videtur ascriptum fuisse.

V. 11 nisi forte in Camerarii scriptura deperdidisse acquiescendum est, praestat Ambrosiani discriptio, qua de re vide supra.

V. 15 retineo ego adipiscendi verbum. Etenim num Plautus compositum omnino evitaverit, quae est Goetzii sententia Analect. p. 100 sqq., valde dubitandum videtur. Verum est antiquum apiscendi verbum a librariis obscuratum esse saepenumero. Atque ut alios locos omittam, Terent. Andr. 332, ubi codex decurtatus in rasura habet a.. piscier, prorsus facio cum Fleckeiseno, qui simplex reponendum esse censet idemque adducor ut Trin. 367 cum Reizio apiscitur ponendum esse credam, ubi et metrum hanc formam flagitat et Ambrosiani auctoritas. Sed illud non intellego, cur Plautus numquam adipiscendi verbo usus esse dicatur. Vide etiam Stich. 281. Omnino priscae latinitatis cognitio angustioribus circumscripta est finibus, quam ut verbum aliquod ab ea abiudicare merito possimus. Quid quod hoc Epidici loco primus versus pes si non desiderat at commendat tamen pleniorem numerum. Vide etiam Ussingium ad Capt. 482 cum addendis.

V. 17 agis non mutandum. V. enim 3 sqq. et 13 sqq. non ab uno poeta esse profectos supra vidimus. Quod si in his versiculis diversarum actionum particulae habeantur, non est cur agis in ais cum Acidalio corrigatur. Quod autem in ipso codice *J* illud ais scriptum est, non est quod mirere: nil est nisi coniectura vetus. Voluit is qui ais scripsit, id quod non semel factum videmus, evitare agis bis positum.

Atque retractationis indicia sat manifesta etiam in v. 19 invenio, qui nisi omnia me fallunt, versus noni est geminus. Unde simul consequens hoc videtur corrupta verba v. 19 non sic esse emendanda, uti fecit Goetzius. Quae eandem sententiam videntur praebuisse atque verba versus 9 exemplum adesse intellego, quae ipsa fortasse cum Gepperto Epidico sunt continuanda. Corruptela Palatinis videtur antiquior, ut ex Ambrosiani memoria sit proficiscendum. In quo haec legit Loewius

OC I IM
QUODEST⫲UTILLAERESCOSTENTA--

Ipse quod prorsus aptum sit huic loco non inveni, sed prodest fortasse viam monstrasse. Codicis vestigiis insistentes ducimur ad

ut illaec res ostentat.

Ascripseram exemplari meo haec

THESPRIO

Quid tíbi vis dicam, nísi quod est.

EPIDICUS

Ut fácies ostentát: probe

nisi lenior medicina adhibenda est ut res ipsa ostentat: probe.

V. 18. Capreaginum, quod ipsum praeter codicis *B* manum priorem tuetur Ambrosiani auctoritas, non caprigenum huic loco convenire vidit iam Ussingius, qui tamen fallitur in indicandis numeris. Versus sine dubio est ut insequens iambicus octonarius

Capreáginum hominum nón placet mihi néque pantherinúm genus.

V. 26 hocedie non a Fuhrmanno, quemadmodum affert in apparatu Goetzius, sed a Gepperto primo est receptum in Epidici editione ed. anno 1865. hominem omissum est in *A*, quod si adverteris, poteris fortasse transposito vocabulo esse et post digniorem inserto me, quod necessarium videtur, corrigere

quem díceis esse dígniorem me hódie Athenis álterum

vel servato hominem sic etiam poetam scripsisse conieceris

quem díceis digniórem esse hominem me hódie Athenis álterum.

V. 29 cum in *B* ante ais sit rasura, ego proposuerim

Séd quid tu ais? ‖ Quíd rogas? ‖ Ubi árma sunt Strattípocli.

V. 32—34 non transponendi, sed delendi sunt. Etiam hoc loco deprehendas retractationis vestigia manifestissima. Atque hoc iam Seyffertus vidit Curcul. praef. XVII. Nullo enim modo verba pol illa ad hostis transfugerunt et transvolaverunt ad hostis ab uno eodemque poeta possunt scripta esse. Adiecti sunt versus septimo saeculo u. c., ut pro v. 30 recitarentur, a fabulae retractatore inanem suam sapientiam venditante.

V. 37 sq. non Epidico, sed Thesprioni cum libris sunt tribuendi, deinde verba Supersede istis rebus Epidico, Tu ipse ubi lubet finem face. Desiste percontarier Thesprioni danda sunt, id quod Goetzius antea ipse coniecerat Analect. p. 114, nisi forte hos quoque versus ex una complurium illarum retractationum ortos esse existimas cum Reinhardto Annal. phil. 1875 p. 199.

In eis quae insequuntur versum 44 dissentiendum esse mihi persuasi a criticorum iudiciis. Atque hunc locum turbatum esse iam anno MDCCCXLVI vidit Ritschelius Philolog. I p. 306 = opuscul. II p. 282. Reinhardtus comprobante Ussingio versus 46—48 propter v. 58 sqq. pro spuriis eicit, qua de re ego longe aliter iudico. Sed ne Goetzii quidem scriptura, quae nititur in codicum auctoritate, probanda est, cum iustus sententiarum ordo desideretur. Quamquam totus locus, quem antea neglectum nunc demum paullo attentius perquisivi, accuratiore indiget tractatione. Nunc haec monere satis habeo. Plures, ut mihi quidem videtur, in hoc cantico post Plautum laboraverunt versificantium manus. Ut proxima tantummodo tangamus, versus 46—48 etiamsi non respicias eos una cum 58 sqq. omnino teneri non posse, per se non videntur suo loco esse. V. 49 si retinetur — atque ego sine ulla dubitatione eum retinendum esse censeo — non interposita longiore oratione continuandus est versui 45, cum Epidico interroganti quot illic homo animos habet hoc versu aptissime respondeat Thesprio. Nec enim ullo pacto audiendus est Reinhardtus, qui eum ex Poenulo III.

5. 9 desumptum esse contendit. Qui si cognovisset loci defensionem Ritschelianam, non dubito quin aliter fuerit iudicaturus. Ceterum hunc versum illo Poenuli loco redire allata Ritschelii commentatione in apparatu Goetziano indicandum erat, vide Ritschelium ad Mercatoris v. 225.

Deinde v. 50, siquidem insequuntur v. 51 sqq., turbatur orationis perpetuitas. Weisius assentiente Gepperto Brixioque versum delevit. Atque hunc versum a retractatore aliquo esse adiectum, ut pro versibus 56 et 57 recitaretur, miror quod Goetzium fugit. Qui versus cum solus non sufficiat ad compensandos versus 56 et 57 — deest enim Thesprionis responsum — alter a retractatore ei adiunctus fuisse credendus est, qualem infra coniectando apposui.

Quae si vera sunt — ac vera esse vix poterit negari — illud simul elucet v. 50 et Goetzii coniecturam quid ais tu stare non posse et verba quae sunt post perdidit me in codicibus summo iure Thesprioni tribui, fortasse etiam Camerarii transpositione quidnam istuc? quid est? manum eius qui hunc versum scripsit, quisquis fuit, esse restitutam.

In versibus 46—48 ipsis nihil est offensionis. Nihil enim aliud profert Reinhardtus, quam quod repugnant versibus 58 sqq. Quid si 58 sqq. potius sunt subditicii? Certe iambicus ille octonarius v. 61 suapte natura aptissime ad iambicum octonarium 48 adicitur. Minoris est momenti, quod versus 46—48 falso loco sunt collocati, quod sane saepenumero est retractationis signum. Sed etiamsi saepius supposita ad marginem ascripta in alienam sedem irrepserunt, quidni aliquoties factum esse credamus, ut genuina adulterinis expulsa falsum locum occuparent?

Sunt autem versus 46 et 47, quales leguntur in codicibus, iambici senarii ab omni vitio vacui

Nam cérto priusquam hinc ád legionem abiít domo
Ipse mándavit mihi áb lenone ut fídicina

nisi forte aut cum Bothio ipsus mandavit mi aut cum Weisio ipse mihi mandavit scribendum est. Insertis voculis nonnullis septenarios trochaicos formavit Goetzius non malos illos quidem, quamquam illa quaestio, num in medio cantico aliquot senariis iambicis usus sit Plautus, nondum mihi videtur ad liquidum esse perducta. In Terentii canticis senarios iambicos exclusos non fuisse certum est, qua de re vide Carol. Meissnerum *die Cantica des Terenz und ihre Eurythmie* annal. philol. supplem. vol. XII a. 1881 p. 472. Qui versus si non caruerunt tibiarum societate, cantici natura hoc excusationem habet, sin caruerunt, quidni credibile videatur interdum in medio cantico versibus accinente tibia cantatis nonnullos non cantatos fuisse immixtos? Cum in his rebus dies diem doceat, fieri potest ut arte veterum accuratius pervestigata, quemadmodum in nostratium dramate musico quae opera buffa dicitur ab Italicis, sic etiam Plauti aetate hoc licitum fuisse appareat. Quamobrem priusquam haec quaestio diiudicata erit, ad quam solvendam omnino peculiari opus est dissertatione, ego quidem senarios iambicos canticis insertos ubi habent codices, eis non octonariorum septenariorumve catenas inicere satius duxerim.

Credo igitur hoc loco ab octonariis iambicis transiri ad septenarios trochaicos interruptos uno octonario iambico, quibus post duos illos senarios iambicos adiciuntur octonarii iambici. Quamquam tres fere, quantum video, restituendi vias hoc loco inire licebit. Aut enim hic fuit versuum ordo

43 44 45 49 51 55 56 57 46 47 48 61 sqq.
aut 43 44 51—55 45 49 56 57 46 47 48 61 sqq.
aut v. 51—55 postea adiecti sunt.

Pro 56 et 57 retractator quidam ad posteriorem aliquam fabulae actionem hunc versum substituit

Vaé misero mihí male perdidít me.

THESPRIO

Quidnam istúc? quid est,

cui talem fere credendus est adiecisse

'Epidíce, obsecró, quis perdidít?

EPIDICUS

Ille qui arma pérdidit.

Duriores numeros prioris versus mihí, qui ne retractatori quidem poterunt condonari facillime sanabis vel hoc modo

Vaé misero mihi mísere perdidít me. ‡‡ Quidnam istúc? quid est.

V. 52 mirum illud reddigitur in *B* (*JFZ* habent quid igitur) nescio an ortum sit ex cedo igitur, ut legatur Quid cedo igitur. An quid rogas igitur est legendum? Non credo praeterea cum Meursio totis esse ponendum, sed codicum scripturam tot retinendam esse. Digitis enim ambarum manuùm quater porrectis minarum numerum monstrat Thesprio, priusquam numerum verbis indicet, uti nos quoque in computationibus haud raro facere solemus. Post tot insero quot? cum Seyfferto.

V. 52 quemadmodum nummis pro singulis nummis poni possit, non intellego. Fortasse versus in hunc modum est redintegrandus

'In diem minámque argenti síngulis nummís. ‡‡ papae.

V. 57 scripseram antea servata verborum collocatione perdidit me quam libri habent

'Epidice? ‡‡ ei, depérdidit me. ‡‡ quís? ‡‡ ille qui arma pérdidit

vel Epidice? ‡‡ hercle perdidit me, nisi potius male ex v. 50 post Epidice inserendum est, quod Jul. Brixium praef. Curcul. XVII proposuisse video.

V. 58 sqq. quos pro 46—48 postea adiectos esse suspicabar, hoc modo cum *A* scripserim

Nam quíd ita? ‡‡ Quia cottídie ipse ad me áb legione epístulas
Mittébat: sed taceam óptumumst.
Plus scíre satiust quám loqui
Servom hóminem: ea sapiéntiast.

Vide etiam Muellerum Plaut. Prosod. p. 466.

Post v. 61 non dubito quin lacunae signum falso posuerit Goetzius. Structuram intolerabilem videor videre conmeruisse non debuit defendere Goetzius Analect. p. 107 sq. Ceterum velim scire, qualis fuerit ille versiculus, quem post 61 intercidisse opinatur Goetzius. Videor vocabulum offensioni esse iam pridem intellectum est, quod tamen cave cum Gulielmo mutes in video. Ut comprehendam brevi, scribo equidem

Nescío pol quid tu tímidu's: trepidas. 'Epidice, ita voltúm tuom
Tueór, videre cónmeruisse hic me ábsente in te aliquíd mali.

Vide Curcul. 260 ubi quod est in manuscriptis visus sum viderier a Lambino assentiente Goetzio emendatum est visus sum tuerier. Versus sunt

Hac nócte in somnis vísus sum tuérier
Procúl sedere lónge a me Aesculápium.

Praeterea eadem significatione tuendi verbo utitur Plautus Rud. 254 videor decorum dis locum tuerier et Capt. 1008. Pro tueor in primo pede minus habet verisimilitudinis tuor, quamquam in prisca latinitate utraque verbi forma in usu fuit, vide Neuium, *Formenlehre der lat. Sprache II p. 326*.

Versum 65 Fleckeisenus in Annal. phil. CXIX (1879) p. 767 sq. sic reconcinnandum esse existimat

'Immo deperít. ‖ degetur córium de tergó meo

quamquam de degendi verbo non consentio cum Fleckeiseno. Quemadmodum enim degere significare possit detrahere, non intellego. Credo Nonium errasse in lemmate scribendumque esse cum *BJ* detegetur, quod mihi satis aptum videtur esse. Quod si verum est, non potest immo teneri. Nescio an scribi possit:

Déperbitit. ‖ détegetur córium de tergó meo.

Quod cum praeter simplex bitere vel biti composita absbitere, adbitere, rebitere, ebitere in prisca latinitate in usu fuisse doceant glossaria (v. G. Loewium act. soc. Lips. vol. VI p. 310 sqq., 361 sq.), praeterea inbitere et interbitere Plautina sint, atque ipsum perbitere Festus Paul. p. 215 aperte testetur Plautum posuisse pro perire et haec ipsa forma legatur Pseud. 778 et Rud. 495, conicias non sine aliqua probabilitate ne deperbitere quidem a prisca latinitate fuisse alienum.

V. 67—70 non faciles sunt ad emendandum, quamquam illud mea quidem sententia certissimum videtur aut septenarios aut octonarios esse constituendos, non unum septenarium octonariis esse immiscendum. Atque cum antea septenarios continuassem, postea praetuli hos octonariolos

THESPRIO

Mítte nunciám me . nam ille mé vetuit domúm venire,
'Ad suom amicum Chaéribulum iússit huc in próxumum ire
'Ibi manere . eó venturust ípsus.

EPIDICUS

Ipsus? quíd ita?

THESPRIO

Dicam:
Quía patrem prius cónvenire sé non volt neque cónspicari.

Ad commendandam scripturam meam nihil fere adicio. Ire v. 68 post praecedens venire et ipsus eadem vocula antecedente facillime omitti potuisse, iussit bis positum in codicibus valde displicere per se, versum meum 69 a numeris maiorem commendationem habere quam Goetzianum iusta incisione carentem me non monente facile apparebit.

V. 78 librorum scriptura benevolens cum benevolente non mutanda videtur. Falsa enim est R. Muelleri opinio accusativum hic pro nominativo flagitantis, cuius coniectura benevolum si recte se haberet, sine dubio ponendum erat benevolum cum benevolo. Goetzianum benivolens sum benivolenti non aptum est ad hunc locum. Ex verbis quia perire solus nolo unusquisque facillime ad verba benevolens cum benevolente mente adiungit verba perire volo.

V. 84 sqq. discriptionem quae ex Ambrosiani auctoritate pendet, nisi quod dimetri cretici in eo in binos monometros divisi sunt, iam praeivit Geppertus, id quod ex Goetzii apparatu non apparet. Per autem mihi mirum videtur, quod versuum creticorum cum trochaicis alternantium seriem Goetzius interrupit v. 91. Quae si in Ambrosiano interrupta esset (cf. Goetzii Analect. p. 100), equidem coniectura dimetrum creticum inserendum esse censerem. Sed videbimus nihil obstare quin quae habent Palatini ea integra etiam in *A* esse credantur. Atque quae Analect. p. 99 sq. disputat de *A* Goetzius, ea si accuratius pervestigantur vereor ut ad illustrandam rem valde sint idonea. Dicit ibi: *Omnino autem in palimpsesto haec legi potuerunt*

```
             ? ?
 9  MEISDOLISSEN
           . . .
10
11
12  FIDICIN
13  S
14
15
16  SIBIDATAESSEUE
```

Initia versuum 10, 11, 14, 15 vacua sunt, unde apparet v. 10 continuisse verba is suo, *v. 11* filio, *et probabile fit v. 14 scriptum fuisse* nam ubi senex, *v. 15* senserit. Rectissime ille quidem, sed pergit: *Dubitare autem licet de versibus 12 et 13, quorum spatium angustius est quam quod capiat verba* fidicinam emit quam ipse amat quam abiens mandavit mihi si sibi nunc alteram a legione abduxit animi causa corium perdidi. Non satis circumspecte. Etenim verba Fidicinam emit quam ille amabat quam abiens mandavit mihi sine dubio uno versu in *A* scripta fuerunt. Nam cum eo qui insequitur versu S statim ab initio conspexerit Loewius neque ullum vocabulum versus 90 S littera incipiat, illud S est initium verbi si. Atque haec ipsa est sententia Goetzii, qui recte pergit: *ibi videntur duo longiores versus scripti fuisse, quorum posterior a* si sibi *vel* sibi *initium ceperit.* Continet autem v. 90, quem uno versu in *A* scriptum fuisse contendebamus, 49 litteras, in quibus amplioris mensurae 7 sunt M litterae. Inde a verbis si sibi usque ad perdidi sunt 56 litterae, quo in numero tres tantum M litterae inveniuntur. Quidni illas 56 litteras unius versus spatio comprehensas fuisse arbitremur? Fortasse ultimae litterae versus iusto longioris, uti non uno loco factum est in *A*, minutulae fuerunt, quales p. 45 pagin. Maian. v. 7 (ubi habes 54 litteras) v. praef. Trin.[2] p. XXXVI et Analect. Plaut. p. 143 et v. 17. vel pag. 46 v. 17. v. Trin.[2] p. XXXVII, ubi 58 litterae eodem versu comprehenduntur. Sua sponte intellegitur, quam fallax sit eiusmodi de *A* iudicium, cui sane pondus esset tribuendum, si eum versum, qui incipit illa S littera, in fine scriptura vacuum esse testaretur Loewius. Quamobrem nihil aliud poterimus conicere, quam in Ambrosiano creticos si sibi nunc alteram non eodem modo atque alios binis versibus scriptos fuisse, sed potius cum versu sequente coniunctos hoc modo

si sibi nunc alteram a legione abduxit animi causa corium perdidi.

Cum igitur demonstrari nullo modo possit quidquam in *A* deesse, quod habent Palatini, cumque creticorum cum trochaicis alternantium seriem res ipsa suadeat, ego quidem sine ulla dubitatione cum libris scribo

Sí sibi nunc álteram
'Ab legione abdúxit animi caúsa, corium pérdidi.

In apparatu versus 95 ad verba at enim — bat enim commemoranda erat Studemundi commentatiuncula quam inseruit Hermae vol. I p. 295.

V. 97 Goetzius tute te ipse, Seyffertus tute tete. Quibus coniecturis, nisi fallor, haec mea emendandi ratio praestat

Quí lubidost mále loqui? qui? quía tu tete déseris

warum schimpfst du dich selbst? warum? weil du dich selbst im Stiche lässt. Pro loquiquiquia facillime loquiquia scribi potuisse nemo non videt. Accedit quod quia in altera parte versus post caesuram positum plus habet commendationis, quam in priorem versus partem ascitum quia.

V. 109—111 quos omittit *A* damnandos esse hoc loco facile unusquisque concedet: illud a Goetzio dissentio, quod eos non ad antiquitatem referendos esse dicit Analect. p. 93. Vide etiam Luebberti syntax. *Quom* particulae p. 133. Qui versus quamquam post Plautinam aetatem adiecti sunt certissime, tamen a poeta aliquo posteriore profectos eos esse tibi persuadeas, ut ictibus sint insigniendi. Fortasse ex alia fabula poetae alicuius Terentio posterioris erant deprompti (ad versum 110 cf. Terent. Adelph. 308). Hoc vel propterea mihi videtur probabile, quod, si quid video, his versibus suppositiciis hoc loco vere Plautina sunt exturbata. Ego lacunae signum pono post v. 108. Praeterea haud scio an v. 112 sq., nisi forte gemellus est versus 117, id quod equidem crediderim, post hunc sit collocandus hunc in modum

109 lacuna 114—117 112 113.

Ceterum pro suis v. 112 exspectes verbis solatur meris (v. etiam Ussingium commentar. Epid. p. 255).

V. 116 et Camerarianum non negarem et Muellerianum pollicerer aeque probatur. Quamquam quod v. 331 si hercle habeam pollicear lubens dicit Chaeribulus, inde immerito conicias etiam hoc loco idem verbum positum esse. Ego alia emendandi via inita scribo

Si hércle haberem túte haberes

credo enim librarium scripta haberem voce formae similitudine deceptum proxima verba tute haberes omisisse.

V. 121 ego proposuerim

quém equidem ego hominem ínrigatum plágis pistorí dabo.

V. 128 Seyfferti salvom huc advenisse, quod ipse quoque suspicatus eram, praeferendum, quo collocatio verborum quae est in codicibus non immutatur.

V. 134 in verbis mihi tantopere te nihil mutandum. Nec enim dubitandum, quin Mahlerus nimius sit in commentatione per se laude digna quae est de pronom. person. apud Plautum collocatione Cussalini MDCCCLXXVI.

V. 135—137 nullo pacto ut visum est Goetzio a Plauto alienos esse contenderim, qui quamquam possunt sane abesse sine sensus detrimento, tamen latum illud verbosumque dicendi genus cum Plauto frequentissimum est tum huic loco prorsus accommodatum. Nec v. 143—145 ita mihi comparati videntur esse, ut interpolationis suspitionem moveant.

V. 136 hercle qui fortasse recte Goetzius, quamquam hunc quoque versum a Plauto profectum esse opinere

Hércle miserumst. íngratum esse homóni id quod faciás bene

quam formam non est cur a Plauto abiudices v. Ritschel. Trin.[2] v. 1018 et 1130.

V. 145 sq. in fine truncati sunt; praeter supplementa iam tentata conicias praeceps eas vel te corripe vel recta inruas alia, quamquam quid ipse poeta scripserit sine novis subsidiis criticis numquam pro certo affirmari poterit. In priore autem versu, si quidem verum est illud elo, non male Ussingius coniecit e loculis prompseris. Mihi si liceat in re incertissima incertam coniecturam proponere, hoc loco Plautus novum verbum videtur fabricatus esse. Credo tale quid posse a Plauto scriptum fuisse

'Unde lubet: nam ni ánte solem occásum eloculassís minas,
Meám domum ne inbítas. tute in prístinum i rectá via.

V. 148 interpungo cum Ussingio Quid? tu nunc.

V. 149, ubi Wagnerus in censura Epidici *Litterar. Centralbl.* 1879 p. 336 tuetur audaciam, post quam voculam talem versum intercidisse putat

meam éxercebo, ut meá virtute servem hodie vitám tuam,

mihi audaciam verbum corruptum videtur esse. Puto tale quid scripsisse Plautum

'Ego istuc accedám periclum pótius atque ista aúdiam.

V. 150 retineo cum libris omnibus quodlubet.

V. 158 non dubito quin Palatinorum scriptura luculente praestet, vide Bentleium ad Terent. Adelph. II. 4. 22, quem locum afferre debebat Goetzius. Testandum praeterea erat in apparatu v. 158 (falso 157 scripsit Goetzius) in Ambrosiano esse luculentum, qua de re supra dixi p. 8.

V. 165 Goetzius recte mea quidem sententia Ambrosiani auctoritatem secutus est spreta Palatinorum recensione, quam cum Studemundo praefert P. Langenius *Beiträge zur Kritik des Plautus* p. 206 assentiente Jul. Brixio Annal. philol. 1881 p. 57. Quamquam hinc in huc cum Langenio mutandum videtur.

Cantici quod sequitur initium — in apparatu *Spengelius p. 166 sq.* non *169 sq.* ponendum fuisse in transcursu moneo — in coniecturarum ab hominibus criticis factarum multitudine nondum mihi videtur persanatum esse. Nec enim probo Vahleni sententiam in Hermae vol. XV p. 263 tres primos versus quales sunt in Ambrosiano incorruptos esse existimantis. Intolerabilis enim praeter cetera est structura. Et sententiae et numeris medebere scribendo

Plérique homines nímis delirant, quós quom nil refért pudet

De proximis verbis incertus haereas, utrum unum an duos efficias versiculos. Fortasse alter continuatus fuit septenarius trochaicus hunc in modum

Quom úsus est ut púdeat actutum íbi eos deserít pudor.

Credo codicem archetypum, unde et Ambrosiani et Palatinorum memoria fluxit, in mediis his duobus versibus fuisse laceratum.

V. 174 improbo Goetzii opinionem in apparatu codicum scripturam uxorem quam tu defendi posse iudicantis, ut u syllaba uxorem verbi priori versui adnectatur. Facilior enim suapte natura est Hermanni scriptura quam tu uxorem, quam ut Plautus eam sprevisse existimandus sit.

V. 175 ictus et apud Spengelium et apud Goetzium per errorem falso loco positus est. Scribe quóius quotiéns.

Tetrameter creticus catalecticus v. 177, quem inter acatalectos constituit Goetzius, habet quo displiceat, quamquam de ea re, quae longiore egeat disputatione, nolo in praesens accuratius agere. Quid si versus Goetzianus non catalecticus, uti visum est Goetzio, sed acatalectus fuisse iudicatur? Quidni enim ante interiectionem oh, praesertim cum mutetur persona, hiatum legitimum agnoscamus?

Scaena in fine manca est, desunt enim nonnulla post v. 178. Versum 179 deleo, qui aliunde mihi videtur irrepsisse, versu 180 autem verba aliter in personas sunt distribuenda. Nam pulcra edepol dos pecuniast verba quemadmodum apta sint Apoecidi, qui modo dixerat quid est quod pudendum siet, genere gnatam bono pauperem te domum ducere uxorem non intellego. Quamobrem haec verba danda sunt Periphani, quae quidem pol non maritast Apoecidi.

In versu lacunoso 187 sine dubio non talia interciderunt qualia coniecit Palmerius. Ipsum qualis pronomen testatur evidenter hoc hemistichio descriptum fuisse habitum senum aut animi tranquillitatem aut — utrumque enim videtur huic loco accommodatum esse — sollicitudinem prae se ferentium. Praeterea v. 186 et optabile est ipsum Periphanis nomen et rectius mihi videtur si unam lacunam statuamus, quam duas, uti fecit Goetzius qui post conspicor inserit erum meum atque et post Apoecidem lacunae signum posuit. Non sum ego quidem tam temerarius, ut ipsius me Plauti manum restituisse mihi persuadeam, qui tamen tale quid videtur scripsisse

Sed eccum ípsum ante aedis cónspicor Apoécidem et erum Périphanem,
Tranquíllo eos animo esse aútumo, qualís volo vetulós duo.

Versu priore etiam Apoecidem atque Periphanem scribere potui, posteriore multa alia in promptu erant vel huc conmeant concorditer vel, siquidem de animi sollicitudine cogites, consistunt, frontem contrahunt vel solliciti huc conferunt gradum vel sunt tristes, capita copulant et quae sunt similia.

V. 204. Muelleri scriptura mane sis sine respirem *Plaut. Pros. p. 267* certe in apparatu commemoranda fuit, cum plus habere videatur probabilitatis quam Brixianum manedum, quod recepit Goetzius. Sed verisimilius mihi videtur quod ego conicio

PERIPHANES
Quíd reist?
EPIDICUS
'St! mane, sine respírem, quaeso.
PERIPHANES
Immo ádquiesce.
EPIDICUS
Animó malest.

Praecedit reist, in archetypo igitur versibus non recte distinctis reiststmane fuisse suspicere.

V. 211 mirere quod Goetzius Camerarianum recepit alius quinque Plauto prorsus indignum. Hoc non eo maiorem nanciscitur probabilitatem, quod in codice quodam Palatino deterioris notae invenitur. Non mala est Ussingii coniectura unusquisque, quamquam nescio quid sibi velint eius verba quae sunt in commentario p. 261: *alius quinque* pessime, nam et *quinos* dicendum erat nec *alius* recte ponitur. Nam ut hoc alius quinque

sat ineptum esse libenter concedo, ita per se falsum esse nego. Suspicor autem ne unusquisque quidem verum esse, sed quisque e proximo versu huc falso illatum esse. Quid scribendum sit incertum, ego conieceram

Túm captivorúm quid ducunt sécum : pueros, vírgines
'Alii binos, térnos alii . fít concursus pér vias.

Credebam enim alii in alius mutatum esse, postquam quisque ex versu sequente huc irrepsit.

V. 214. Muelleri suis quaeque **ibi** amatoribus, quod recepit Goetzius, ferri non posse iam intellectum est a Gulielmo Wagnero in Epidici censura *(Literar. Centralbl. 1879 p. 338)*, qui non male corruptelam in amatoribus vocabulo quaerendam esse iudicabat. Ac possis fortasse conicere adamatoribus, licet adamandi verbum in fabulis Plautinis numquam inveniatur. Ex quo illud per se consequens non est eius verbi usum a Plauto fuisse alienum. Verum haud scio an quaeque vocula potius sit corrupta. Notus est rarior usus verbi quisquis pro quisque positi, vide Caton. R. R. c. 7, 1: in eodem fundo suum quidquid conseri oportet; c. 40: suum quidquid genus talearum serito, vel ipsius Plauti Trin. v. 881 unum quidquid. Plura exempla qui desideret adeat Neuium *Formenlehre der lat. Sprache vol. II p. 179 sq.* Nec minus notum, uti quisque etiam de feminino dicitur (v. Poenuli prol. 107 omnis meretrices ubi quisque habitant invenit cf. Pseud. 185): sic quisquis haud raro de muliere cum ab aliis poetis scaenicis tum ab ipso Plauto dictum esse (exempla vide apud Neuium p. 178 et Holtzium synt. script. lat. vol. I p. 376). Quamobrem non dissimile est veri etiam quisquis pro quaeque Plauti aetate usurpatum esse. Quod si verum est liceat hic suspicari

'Obviam ornatae óccurrebant suís quisquis amatóribus.

V. 215 sq. ex posteriore recensione traditum deleo cum Dziatzkone *Jenaer Litteraturzeitung 1879 p. 238* et Wagnero l. s. s., qui tamen falso de glossemate cogitat.

V. 225 verba quid istuc tam mirabilest et quae sequuntur usque ad 235 Epidico non Apoecidi sunt tribuenda, quod praeivit Bothius.

V. 227 et 228 addubitatos esse a Gepperto — fortasse recte — in apparatu monere debuit Goetzius.

V. 229—235 haud scio an non omnes ad eandem pertinuerint recensionem. Quamquam in hisce rebus vix licet quidquam pro certo affirmare, ego crediderim v. 229—232 ad aliam fabulae actionem adiectos esse atque 234.

In apparatu v. 245, ubi dissentiunt inter se Ritschelii et Loewii de Ambrosiano testimonia, aequum erat commemorare etiam Geppertum in *A* legisse ILLI...ILLI.

V. 252 habes testium de *B* codice discrepantiam. Ussingius eum extremo versui additum esse affirmat, nihil de hac re continet apparatus Goetzii, ex quo ne hoc quidem cognoscas, utrum codices eum habeant necne habeant. Verisimile est hoc loco recte de *B* testari Ussingium, cum in ipsa quoque Pareana eum priori versui adiectum invenias, quamquam testimoniis Ussingianis non nimium esse fidei habendum docuit Lorenzius *Burs. Jahresbericht vol. VIII 1881 p. 71.* Nisi cum Bothio eum post argentum collocabis aut delebis eum árgentum ictu erit afficiendum, ut eum prorsus evanescat. Fortasse tamen scribendum

'Argentum se súmpse apud Thebas áb danista faénore.

V. 253 praefero Gepperti scripturam id paratum esse et ob eam rem, deinde scribo hercle ego occidi, quod Goetzio quoque in mentem venit.

V. 254 credo atque quod valde mihi displicet nihil esse nisi errore repetitum apse. Qui versus cum talis legatur in *B* haec sic aiebat sic audiuisse se abse atque epistola, ad eius normam ego scripserim nulla fere littera mutata

haéc sic aiebát sic audivísse se eapse epístula

quamquam propter caesuram de sic et se inter se commutatis poteris cogitare hunc in modum

haéc sic aibat se aúdivisse síc eapse epístula.

V. 261—266 a retractatore adiecti mihi videntur, unde simul potest illa lacunula orta esse, quam Goetzius — fortasse recte — post 266 statuendam esse suspicatur. Quamquam etiam spreta lacunae suspitione verba optimum habent explicatum.

V. 263 fortasse in utitor antiqua forma imperativi activi utite latet, de qua vide Neuium II p. 303. An pro reperitote scribes reperito tu?

V. 283 nondum Plautinam speciem recuperavit, quamquam recentiorum criticorum permulti de hoc versu egerunt Bothius Geppertus Kochius Muellerus Goetzius Ussingius Ribbeckius Schoellius Loewius, quorum inventa vel a codicum apicibus nimis sunt aliena. Praeterea Plautus multo fortius multoque significantius locutus est quam quod emendatores illi Plauto hoc loco impertire sibi visi sunt. Ambrosianus hic desideratur, in *B* autem haec leguntur, si discesseris a personae nota quae est Ap.: quod uelis ‡ Viue sapis. In Palatinorum archetypo haec scripta fuerunt mea quidem sententia

di
quoduis‡uine

Quid plura? Plautus scripsit

Núptiarum né gravetur quód vis. ‡ diviné sapis

Coniectura Goetzii sapit pro sapis possumus supersedere. Praeterea verba divine sapis et placet secundum codicum auctoritatem Apoecidi tribui possunt, ut hic deinde Epidici laudem iteret verbis sapit hic pleno pectore. Quamquam praestat fortasse, si verba divine sapis Apoecidi, et placet Periphani dentur. Coniunctivus velis, quem habent codices, suapte natura nihil habet quo commendetur.

V. 285—287 non esse transponendo sanandos docemur palmari Ussingii emendatione nam te nolo neque opus factost, quamquam haec verba falsissime Apoecidi continuat quae sunt Epidici. Vidit hoc iam Lorenzius *Jahresbericht vol. VIII 1881 p. 71.*

In verbis v. 288 haec te fortasse latet corruptela quaedam, cum in eis quae antecedunt de nulla suspitione doceamur. Cogitavi de hac scriptura et repperi **hercle** qui abscedat suspitio. Hahnii coniectura et repperi aps te haec qui abscedat suspitio est supervacanea. In duplici hercle versus 288 non est offendendum.

V. 293 sq. emendatio feliciter cessit Ussingio

PERIPHANES

'Epidico habeas grátiam.

EPIDICUS

Sed égo istuc faciam sédulo.

'Ego illum conveniam átque adducam hunc ád eum quoiiast fídicina.

ut v. 294 minime pro spurio sit habendus. quoiiast ex *B* recepi cum Goetzio.

V. 295 finem recte emendavit Luchsius. Pro illaec ego scripserim illo (vide etiam supra v. 290). In codicibus illane priori versui agglutinatum est. Ut versus restituatur in hunc modum

'Atque argentum ego cum hóc fero illo.

Periphanes

Quánti emi minumó potest.

Coniectura quam Goetzius in apparatu v. 299 affert, erat supprimenda, nihil enim in caussa est cur quidquam mutetur praeter Bothii alius illam.

V. 302 non videtur cum Goetzio et inpetras coniciendum esse. Fortasse inpetraveris scribendum, ut prorsus absorbeatur quidem vocabulum. Etsi etiam inpetras potest verum esse aut inserto ego post oro aut oro in orabo mutato, id quod iam proposuit Bothius.

V. 303 non apparet ex apparatu, unde huic scriptura fluxerit. Inest autem huic teste Pareo in Palatinis praeter *B*, recepit primus nisi fallor Bothius.

V. 306, ubi ictum in 'Attico vocabulo deesse apud Goetzium moneo in transcursu, non valde placet Lomani coniectura omni inter verba agrum in agro non seiungenda interponentis. Malo

Nullum ésse opinor égo quidem agrum in agro 'Attico

vel égomet agrum in agro 'Attico.

V. 315 antea scripseram

máne me iussít senex
Condúcere aliquam fídicinam suae quaé domi
Dum rém divinam fáceret cantarét sibi.

Sed intellego longe praestare firmissimam Buecheleri emendationem Mus. Rhen. XXXV p. 628

máne me iussít senex
Condúcere aliquam fídicinam sibi húc domum
Quae dúm rem dinam fáceret cantarét sibi.

V. 323 Wagnerus in censura Epidici non improbabiliter coniecit per illum.

V. 327 sqq. restitutio perquam est difficilis. Atque antea versum 327, 328 — nam unus est sine dubio — iambice metiebar cum Ribbeckio praef. Epid. p. XXIII, nunc vero propter versum 329 mensuram trochaicam praefero. Hic enim qualis legitur in manuscriptis: quid illum facere vis qui tibi quoi divitiae domi maxume sunt sine dubio iustus est trochaicus octonarius nec video cur eum transponendo in septenarium trochaicum vel octonarium iambicum mutemus. In versu 327, 328 qui hic est in codicibus numquam inridere nos illum inultum sinam servum hominem, nisi quod mero errore inultimum *BJ*, lacuna est aut post numquam aut post inridere, quam sic expleas: Numquam inridere ita me di ament aut Numquam ecastor inridere aut Numquam sceleratum inridere aut uti infra feci. Initium versus 330 truncatum est in libris. Sed nec Goetzius versum recte restituisse iudicandus est nec probandum ullo modo Ussingii amicis. Hoc vel propterea displicet, quod altera parte prorsus idem diceretur. Atque *B* hunc versum habet is numu nullum habes. Ne multa: ego totum locum sic reconcinno

Chaeribulus

'Absurde facis qui ángas te animi. si hércle ego illum semel préndero,
Númquam inridere ínpudenter nós illum inultum sínam servom hominem.

Strattipocles

Quíd illum facere vís, qui, tibi quoi dívitiae domi máxumae sunt,
Aéris nummum núllum habes nec tuo ín te copiást sodali?

Numeri non duriores sunt quam in octonariis trochaicis esse solent. Aeris nummum nullum habes 'keinen Dreier Geld'. In his versibus igitur praeter lacunae supplementum v. 327 nihil mutatum nisi aeris positum pro truncato is atque sodali transpositum.

V. 333 ego haud cunctanter recipio verisimillimam Loewii coniecturam praef. Epid. p. XXIII ignave iners verba apud Festum Pauli ad Plauti versum pertinere contendentis.

V. 335 pro Goetziano gentiumst hanc inii emendandi rationem

Strattipocles

Quippe tú mi aliquid aliquó modo alicúnde ab aliquibús blatis;
Quod núsquamst fabuláris, neque ego id aúres inmittó meas.

cf. Capt. 548 né tu quod istic fábuletur aúris inmittás tuas.

Actus tertii scaenam alteram studiis hominum scaenicorum fabulam retractantium mirum quantum esse turbatam ac laceratam nemini profecto obscurum esse poterit. Ubi ex particulis genuinis et post Plautinam aetatem assumptis mira orta est colluvio, ut cum alibi satis sit novicia a Plautinis segregare, hic contra ea quae vere Plautina videantur delibare et quodammodo expiscari debeamus. Videntur autem, quantum in re fere inextricabili nunc quidem iudicare licet, aut nullam aut exiguam posterioris originis movere suspitionem v. 337, 341--348; ibi est lacuna, praedicavit enim Epidicus copiosius machinas suas et fallacias; 357—359 post filia vocem nonnulla credibile est intercidisse, quae pertinebant ad eius mulieris emptionem, quam antea v. 278 sqq. suaserat Periphani. In ea autem lacuna mihi videntur illi versus locum habere posse, qui sunt 354—356, quamvis de eis etiam aliter statuere liceat. Deinde autem de nova emptione aliquid dicendum erat, nam verbo dedit mi ad hanc rem Apoecidem flagitant necessario, ut aliquid antea de re ipsa dixerit poeta. Post 359 vel 360 nova est lacuna atque ad hunc locum potuerunt a poeta aliquo posteriore adiecta esse illa 349—351. Quamquam hic locus totus secundis tertiisque curis aliquando retractandus erit, nunc satis habeo meam sententiam quae fortasse in singulis immutari aut poterit aut debebit breviter indicasse.

Iam vero ut ad singulorum versuum crisim factitandam accedam, v. 337 praeferenda est propter orationis concinnitatem eorum ratio qui iam delent scribendumque

Fecísti officium tú tuom: me meúm nunc facere opórtet.

Proximi tres versus igitur, ni fallor, a retractatore adiecti sunt, licet de 338 possis dubitare, 339 sq. iam Weisius delevit. Omnes tres eiecit, ut video, etiam Ussingius. Ceterum v. 339 verborum oppido hoc ordo non immutatur, si quid inseritur post tibi. Pollinctum autem Goetzianum non malum, fortasse tamen hic scriptum fuit sepultumst, vide Terent. Phorm. 942 sqq. nullus sum — sepultus sum, ubi Donatus αὔξησις nam plus est quam

nullus sum. Nisi antiquiorem formam participii sepelitumst praeferes, quae propius accedit ad librorum scripturam. Ut hic scribatur

Ni quíd hinc in spem referás tibi : omne óppido hoc sepelítumst.

V. 340 post ego fortasse inserendum aliquid, scribo

Credé modo tu mihi : síc ego ipse ago síc egerunt nóstri.

De v. 349 — 351 Plautinam originem non redolentibus vide supra. Ac fortasse et hanc Guyeti sententiam et Seyfferti ante hos versus quaedam intercidisse affirmantis optime licebit inter se coniungere. Ceterum medicina versui 349 nondum inventa est, nam Camerarianum perenticida male formatum nullo pacto verum esse potest.

V. 351 assentior Reinhardto at ego nunc scribenti.

V. 359 desperatissimus nondum est a quoquam sat probabiliter restitutus nec scio equidem, num mea coniectura aliorum commentis praestet. Ego adulescentulus conieceram hic scriptum fuisse

quasi quám avet caveat. ‖ haúd male. ‖ iamiam ípse cautor cáptust

vel

qui quási ei quam avet cáveat. ‖ haud male. ‖ iam ípse cautor cáptust.

Sed avendi verbum fortasse recte a Plauto alienum fuisse iudicatur. Quid? si hunc in modum versum reconcinnabis

is ápud forum manét me,

Quasi áb ea quam amet cáveat.

Strattipocles

Haud male.

Epidicus

Iam ípse cautor cáptust.

Libri habent quasi quae amaret caveat. ‖ haud male. ‖ iam ipse cautor captus est.

Confidentius licebit de v. 365 iudicare, in quo criticorum Plautinorum neminem veram scripturam assecutum esse miror. In codicibus est adueniam, Camerarius scripsit adveniant, Goetzius adveniat. Sed dubitandum non est, quin librorum scriptura profecta sit ex suprascripta iam particula, quae per se requiritur hoc loco. Plautus scripsit

Si qui ád eum adveniat iam út sibi datum ésse argentum dícat.

Proximae scaenae initium non male restituit C. M. Franckenius Mnemos. nov. ser. VII 1879 vide *Burs. Jahresbericht* 1879 p. 22, quamquam non in omnibus rebus cum eo consentio.

V. 389 fortasse scribendum

Vel égomet dudum fíli causa coéperam

vel quasi egomet qui dum libri.

V. 394 pro huc Goetziano post sed inserto ego malo

Sed méus sodalis vénit cum praeda Apoécides

etsi etiam de tali interpunctione cogitare licebit

sed méus sodalis vénit cum praeda, Apoécides

ut Apoecides vocativus sit casus.

V. 398 non intellego, cur intro sua sede exturbandum sit, quod si propter hiatum factum sit in interiectionibus frequentissimum, nihil impediet quin scribatur

Sed tu̇́te hanc iubeas íntro abduci. ‖ heus heús foras

iubeas pro *B* scriptura lubens malo quam iubesis. cf. v. 301, ubi e contrario e librorum scriptura iubeas faciendum est lubens.

V. 404 Goetzius recepit probabilem Fleckeiseni coniecturam numquam nimis pro librorum scriptura num nimis. Ego ad hunc locum annotaveram quod eandem ni fallor habet verisimilitudinem

num quis nímis potest
Pudícitiam umquam suaé servare fíliae?

Similiter Wagnerus in censura Epidici, qui tamen omittit umquam.

V. 409 cum Gepperto scribo planum, vide etiam Capt. 564.

V. 421 nondum est sanatus.

V. 427 codicum scriptura adligassem fortasse recte se habet.

V. 429 mi nullo pacto potest abesse, illud quaeritur ubi ponendum sit. Scribo

Mi os súblitum esset átque me albis déntibus

versus qui antecedit eisdem litteris mi incipit, atque pro itaque iam alii coniecerunt.

Versus qui sequuntur in manuscriptis post 430 Goetzius non commode ante 448 inserendos esse opinatur, multo praestat eorum post 455 collocatio, quod vidit Acidalius.

V. 443 non probo Ribbeckii coniecturam duellis. Corrupta librorum scriptura deillius nescio an ad meilles ducat. Scribo

Nam strénuiori déterior si praédicat
Suas púgnas miles, íllae fiunt sórdidae.

ll in miles verbo etiam Trucul. 412 habent Palatini.

Versus 453 initium nescio num ferri possit propter numerorum asperitatem, fortasse scripsit Plautus

Pol ego únum quaero mágis meas quoi praédicem
Quam illúm qui memoret

illum Palatinorum retinendum est, cum de Ambrosiani memoria nihil certi affirmari possit. Quam saepe enim fallax sit ratiocinatio ex spatiorum calculo ducta per se apparet.

Quod in *A* post 474 versus scriptura vacuus est, cuius rei caussa latuit Loewium praef. XI, id dudum explicatum est a Gepperto stud. Plaut. II p. 105 ad fidicinam in scaenam prodeuntem pertinere recte existimante. Quem Gepperti locum debebat affere Goetzius.

V. 493 facillimum est ad eas coniecturas quae sunt tentatae ab hominibus criticis novam adicere eadem vel probabilitate vel improbabilitate praeditam. Quamquam Goetziano bene verbo aliquis substituerit probe, quod versum 491 quoque finiens facillime poterat excidere. Sed verisimilius est homo es a Plauto esse profectum. Atque antea scripsi

euge eúge Epidice! frúgi's, pugnax túte homo's

vel pugnax tú's homo.

Nunc autem nihil omnino nisi pugnasti in pugnavisti corrigo cum Camerario scriboque

Euge, eúge Epidice! frugi's, pugnavísti, homo's.

Pugnandi verbum absolute positum habés etiam Terent. Adelph. 843: pugnaveris, quod Donatus recte explicat magnam rem feceris . homo's autem apte defenditur Adelph. 934 si tu sis homo Hic faciat. cf. etiam Adelph. 107.

V. 513 nisi Ambrosiani UTCRUCIATUUT merum est librarii mendum, non incommode hic pleniore versus initio scribes

Malo tú cruciatu ut péreas atque abeás cito.

V. 522 Muellerus non coniecit sed, id quod ex Goetzii apparatu concluseris, immo scaenae finem ita turbatum esse contendit, nemo ut cum aliqua probabilitate genuina restituere possit. Atque illud sane manifestissimum excidisse hic vere Plautina, quamquam eodem iure at pro ac poni potuit, quod ipsum nescio unde profectum Naudetus in textu habet. Hoc at autem in apparatu certe commemorandum erat.

Primam scaenam actus quarti nunc obiter tantum percurrere visum est, licet non paucas moveat suspitiones. Ad versum 532 commemoro mea gnata iam ante Muellerum a Gepperto esse editum.

In versibus qui sequuntur 537 non omnia recte procedere nondum animadversum est a criticis. Iam v. 537 docemur Philippam et Periphanem sibi non esse ignotos. Constituit igitur v. 543 et Philippa Periphanem et Periphanes Philippam alloqui. Quod si editionibus fidem habeas, sequitur eodem versu 543 interrogatio si haec east? me iudice inutilis et plane incommoda, nam de hac re iam antea dictum erat. Nisi omnia me fallunt, hic potius est sententiarum ordo animo humano aptissimus: v. 543 Periphanes et Philippa alloquendi inter se consilium capiunt simulque metuunt, ne in re tam ancipiti ac lubrica fallantur, qui metus v. 544 sq. excusatur. Itaque dolo et astutia uti malunt. Qua in re illud praeter cetera animadvertendum, quod v. 545 (ut etiam semel v. 543) omnes codices non si sed sin habent. Quid plura? totum locum scribo hunc in modum

PERIPHANES

Nóscito ego hanc: non vídeor nescio úbi vidisse míhi prius.
'Estne ea annón east, quam ánimus retúr meus?

PHILIPPA

Dí boni! vísitavi húnc hominem iam ántidhac.

PERIPHANES

Cérto east, quam in Epidaúro memini mé pauperculám conprimere.

PHILIPPA

Pláne is hicinest, qui ín Epidauro prímus pudicitiám mihi pepulit.

PERIPHANES

Quaé meo conpréssu peperit fíliam, quam dómi nunc habeo.
Quíd si adeam

PHILIPPA

Hau scio án congrediar

PERIPHANES
Ni haéc east?
PHILIPPA
Ni is ést homo?
Sícut anni múlti dubiam dánt mihi mentem.
PERIPHANES
Quín cauto opus est,
Lónga dies meum incértat animum: sin east, quam animo mémini infirmo,
Hánc congrediar ástu.
PHILIPPA
Muliebrís mi adhibenda malítia nunc est.

Octonarios usque ad versum 546 pertinere certissimo indicio est *B*, qui mecum habet malitia nunc est. V. 539 hunc hominem iam meum est supplementum. ni v. 543 hac significatione Plautinissimum. V. 544 sq. supplemento non mihi videor Plauti ipsius manum restituisse, id quod per se apparet, sed tale quid scripsit sine dubio. De dandi usu in verbis dubiam dant mihi mentem vide P. Langenii librum perutilem p. 339. V. 545 incerto Palatinorum tenere potui scribendo quam incerto animo memini, quamquam illud incerto post incertat habet quo displiceat. Quod cum in *A* sit .. F .. MO, scripsi infirmo et ad sententiam et ad litterarum apices accommodatissimum. V. 546 mi cum Lindemanno transposui servata alioquin *B* aliorumque codicum scriptura malitia nunc est.

V. 553 Mira memoras scriptura codicum quam recepit Goetzius nullo pacto vera esse potest. Acidalii coniectura mira ni me noris speciosior est quam verior. Plautus scripsit ad sententiam perquam apposite id quod in codicibus est una tantummodo litterula ascita: mira memoria's. Iam quid ante em istuc rectiust exciderit, nemo quidem poterit assequi coniectura, illud tamen in promptu astipulari Periphanem Philippae verbis. Sed ne insequens quidem versus caret offensione. Non intellego, quomodo Philippa interroganti Periphani meministin? respondere possit memini, priusquam rem memoret Periphanes. Ambrosianus habet ID post personae spatium, deinde Q et post 10 fere litteras N. Quibus vestigiis pressis, quoad eius fieri potuit, scribo

PERIPHANES
'Ubi te visitávi?
PHILIPPA
Inique iniúriu's.
PERIPHANES
Quid iám?
PHILIPPA
Quia
Tuaé memoriae intérpretari me aéquom censes.
PERIPHANES
Cónmode
Fábulata's.
PHILIPPA
Míra memoriá's.
PERIPHANES
Nempe—

PHILIPPA

Em istuc réctiust.

PERIPHANES

Méministin id?

PHILIPPA

Quíd?

PERIPHANES

Meministin ín Epidauro

PHILIPPA

Ah, gúttula

Péctus ardens mi ádspersisti.

Praeter coniecturas memoria's nempe meministin id? quid? meministin verba quae sunt post mira memoria's aliter personis dedi atque adhuc factum erat, qua in re moneo etiam in *B* verba em istuc rectius Philippae tribui.

V. 557 potest *B* codicis scriptura mea aerumna ex mero errore profecta esse, fortasse tamen ducit ad med aerumna, ut tuam vocula prorsus evanescat

Quí per voluptatém tuam in med aerúmnam obsevistí gravem.

V. 563 *A* revera plus videtur habuisse. Loewius inter domi et eccam 8 litterarum puncta notat. Nisi forte meae vocula bis in eo scripta erat, habuit fortasse domi enim meae, quamquam ego hoc minime recipiam.

V. 567 Dziatzko *Jen. Litteraturz. 1879 p. 238* iure offendit in duplici si mea, quamquam quod ipse proposuit mihi non probatur. Si Studemundus recte in *A* legit, non dubito, quin aliam hoc loco habuerint recensionem Palatini, qui ni fallor ad hanc ducunt versus formam

Fác videam sis meám, si me vis sálvam esse. ‡ eho istinc Cánthara

an si salvam me vis?

Lacunam quae est v. 578 expleo hunc fere in modum

PERIPHANES

Scío quid erres: quía vestitum atque órnatum inmutábilem
Hábet haec aliam crédis esse eam.

PHILIPPA

Núgas garris, Périphane,
Nám certe aliter cátuli cervae lónge olent, alitér suis.

aut

Hábet haec alia tíbi videtur.

PHILIPPA

'Ego meam non nóverim
Fíliam, aliter cérvae catuli lónge olent, alitér suis

quamquam illud commemorandum post prius aliter esse lacunulam in *B*.

V. 580 Camerarii scriptura, quam a sententia huic loco aptam esse nemo negabit, vereor ut a poeta sit profecta. Codices Palatini habent ne ego eam nouisse omissis verbis quae sit, quae scripsit Camerarius, Ambrosianus autem NEEGOM, habet igitur sine dubio meam. Atque antea scripsi

Né ego meam novísse novi.

PERIPHANES

Pró deum atque hominúm fidem

sed lenior etiam in promptu est medicina, qua ipsius poetae manum restituisse mihi videor

Né ego meam noví novisse.

nouinouisse quam facile potuerit immutari in nouisse nemo est quin videat.

V. 596 ex *A* recipio quia tuam gnatam es ratus.

V. 597—599 nullo modo possunt hoc loco abesse, quamquam desunt in *A*. Quos si interpolatori deberi statuas, propter sententiarum cohaerentiam alii eiusdem fere generis versus exciderint necesse est, quod probabilitate prorsus est destitutum. Verum v. 597 et 598 omni carent offensione, v. 599 autem numeri tolerari nequeunt. Nec versus emaculatur meo quidem iudicio Muelleri coniectura quid si servo aliter visum esset, non pote novisse, obsecro. Atque antea mendum quaesivi in aliter voce, in qua infinitivum latere mihi persuasi, ut haec esset loci sententia at si servo placuit te fallere, non poteras ipse eam novisse? Neque hoc a litteris nimis alienum esset

quíd si servo fállere visumst

nisi vocabulum dactylicum pedem trochaicum aequans cautionem suaderet. Nec fortius remedium nunc placet

quíd si servo vísumst fallere, haúd pote eam nosse, óbsecro?

sed aliter tolerari posse mihi videtur, ad numeros autem sanandos multo simplicior in promptu est emendandi via Mutato novisse in nosse scribe servolo pro servo: optimos habebis numeros

Quíd si servolo áliter visumst, nón poteras nosse, óbsecro.

Hanc diminutivi formam saepissime esse oblitteratam in codicibus notissimum est.

In quinto actu v. 607 scribo cum Kampmanno qui a me. V. 608 fortasse Camerarianum quae empta ex praedast in integrum est restituendum.

V. 624 est consimilis, quod Goetzius recepit pro librorum scriptura estne consimilis, in uno Palatinorum scriptum esse testatur Geppertus.

V. 627 Goetzii otiose adbitis emendationem palmarem praedicat Wagnerus. Mihi haec scriptura ut a litterarum vestigiis longe remota nec veritatem nec probabilitatem videtur habere. Ceterum otiose iam Camerarius scripsit, quod in apparatu frustra quaeritur. Otio esse admiror, vel sic ego iussi ad me ire vel otiosse ad me ire antea conieci, nunc praefero Brixii coniecturam sicin iussi ad me ire quae quam proxime accedat ad depravatam librorum memoriam vel obiter intuenti patet.

Eiusdem versus fine plumbeis receptum est a Goetzio, quod tamen cave a Brixio primo inventum esse credas. Legitur enim in Weisii lexico Plautino (Quedlinb. 1838 p. 113): pulmoneis pedibus ire f. l. plumbeis. Sed vereor ut plumbeis a poeta profectum sit, veri multo similius mihi videtur, quae Ussingii quoque sententia est, in depravata voce latere nominativum. Ussingius non male suspicatur palmipes scribendum videri.

In lacuna versus 642 fortasse nonnulla verba danistae interciderunt de pecunia metuentis vel hunc in modum

DANISTA

Heú me miserum, eccós germanos.

'Alia matre unó patre

quamquam vestigia Ambrosiani ad alia verba ducunt.

V. 653 ut non nego Goetzianum fidicina illa a litteris habere commendationem, ita non credo poetam reapse sic scripsisse. Emendo

Tíbi quidem quod amés domi praestost — fídicina empta operá mea.

In apparatu v. 655 scribendum erat i intro *Muellerus Plaut. Pros. p. 46.*

V. 660 coniectura Goetzii vix cuiquam probabitur. Quomodo enim adfer explicandi caussa ad auxilium adiungi potuerit non assequor. Nec offendendum ullo modo in his verbis, nisi quod cum Muellero ac fer pro adfer scribendum videtur.

Ceterum versus 662—665 ad alteram pertinere fabulae recensionem, quod vidit Dziatzko l. s. s., ipse quoque pridem ad exemplar meum ascripseram.

V. 668 nemo negabit Ribbeckianam versus formam tace sis sine med longe praestare numeris Goetzianis tace siné modo me hominem. Sed, ni fallor, alia ineunda est emendandi ratio, ut me, quo facile possumus carere, ex suprascripto met ortum esse credatur. Licebit igitur servata verborum collocatione quae est in codicibus versum in hunc modum constituere

Táce sis modo sine hóminem apisci. ‡ díco egomet tibi iam út scias.

V. 669 retineo codicum scripturam tibi te.

V. 674 aestu ut e proximo vocabulo adstes ortum deleo cum Wagnero, ut versus sic legendus sit

Quáqua tangit, ómne amburit, própius si adstes cálefacit.

V. 679 antea sic scripsi

dúm sine me quaerás eum quaeras meá causa medio ín mari

quae scriptura nescio an ob variatum accentum quaeras vocis aliquam commendationem habeat. Quamquam etiam remota subtilitate huius usus, qui non constans est, suspicetur quispiam sic a poeta esse scriptum

dúm eum sine me quaéras, quaeras meá causa medio ín mari

Sed nunc mihi versus alio modo videtur resarciendus esse. In *A* haec legit Loewius DU............SQUAERAS, habet igitur, ut ex spatiis concluseris dum sine me quaeras, quaeras. Vel autem quod in *A* deest caret offensione, quo ascito scribo nunc

dúm sine me quaerás, quaeras mea caúsa vel medio ín mari.

V. 695 Goetzii nimis erunt obnoxiossae omni caret verisimilitudine. *B* habet nihil uero obnoxios se, *A* in quo initium tantum et finis versus legi potuit, videtur hic aliquanto (2—3 litt.) plus habuisse. Atque antea animum induxi, priusquam emendationem huius loci proponerem, de multiplici usu huius vocabuli disserere accuratius, de quo iam veteres incertos fuisse cognoveris ex Gell. VI. 17. 13. Lexica enim in hac re minime sufficiunt. Sed nunc satius visum est operosiorem hanc commentatiunculam relinquere infinitam. Atque ut praecidam brevi, dupliciter, nisi fallor, huic loco potest succurri aut ut adiectivum ponas ad manus pertinens

Níl sunt vero obnóxiossae. ‡ fácto opere arbitrámino

— nihil peccaverunt, aut ut adverbium scribatur, quod fortasse praeferendum videtur, hunc in modum

Níl vereor obnóxiosse. ‖ fácto opere arbitrámino

obnoxiose = timide, trepide, quam significationem et obnoxie et obnoxiose sine dubio habet.

V. 709 maligno Scaligeranum non placet. Atque antea ascripseram neque eo indigno, de quo etiam Wagnerus cogitavit, nunc autem mihi aptissimum huic loco videtur Ussingii neque malo homini neque bono gnato tuo dedi Strattipocli, quamquam malim transpositis verbis neque bono tuo gnato d. S.

V. 714 sine iusta caussa non pol temerest scripsit Goetzius. Nam etiamsi temerest pauculis illis locis, ubi invenitur apud comicos, subiecto caret, quo tamen iure contendere ausis subiectum necessario deesse? Praeterea ex Muelleri verbis omnino non elucet, num hoc loco scribi iubeat non pol temerest. Dicit tantummodo Terentium in Phormione 998 verbis non pol temerest usum esse.

In fine fabulae 724—727 et 728—731 sine dubio paralleli sunt — id quod vel ex initio versuum 724 et 728 plane gemello cognoscitur manifesto — ita quidem ut 724 et qui sequuntur postea pro 729 sqq. adiectos esse existimem ad similitudinem Poenuli, de cuius fabulae duplici exitu vide dissertationem meam Lips. MDCCCLXVIII.

V. 721 ubi auctore Brixio Goetzius scripsit mi evenisse pro librorum scriptura meruisse, Wagnerus rem tulisse, nam meruisse vel commeruisse vel sic meruisse alii, ego propono

Quíd isti oratis ópere tanto? quém meruisse intéllego
'Ut liceat merito húius facere.

In apparatu v. 727 de codicis Ambrosiani scriptura non docebere. Nam quid sibi volunt verba ‖abeas *quadrat*? Quibus verbis si significare voluit Loewius quinque tantummodo litterarum praeter personae spatium inesse in *A*, cur hoc ipsum non dixit? Fortasse autem *A* hoc loco, uti saepe, vide Epid. v. 1 et 7, personae spatium non habet, ut septem litterae vocis dabitur, quam reliqui habent codices, prorsus congruant.

Versu ultimo porgite, quam suam esse coniecturam dicit Goetzius, iam a Dousa esse propositum recte animadvertit Wagnerus, sed etiam ex recentium editorum numero Weisius in editione habet porgite.



